





2  
1792, 2 ✓

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS  
VSVFRVCTVARII  
CIRCA REFECTIONEM  
AEDIFICIORVM.

---

QVAM  
SVB AVSPICIIS REGIIS  
INCLVTO CONSENTIENTE ICTORVM ORDINE  
PRO  
*SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS*  
RITE CONSEQVENDIS  
DIE XXX. AVG. MDCCCLXXXII.  
ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMITTIT  
AVCTOR  
GERHARD CASTENDYK, NATV MAIOR,  
BREMANVS.

---

GOTTINGAE  
TYPIS JO. CHRIST. DIETERICH.

DISSEPTATIS INAGLARIS IARIDICA

36

IARIBAS ET ORIGATIONIBAS  
ASAFRAGOTAVRII  
CINGA RELEGATIONEM  
EDITIONVM

37

SAB AVHICHS RODIE

INC ALIO DISSEPTATIS ORIGINA

ZVNTZ ET NOKRIN

ETTE COVSEPTATIS

DE ZVNTZ ET NOKRIN

TRADICIONE ET EXAMIN

SYNTHETICA

SOTUVA

CERHARD CESTEND DE

DISSEPTATIS

38

DISSEPTATIS ORIGINA

LIBERAE ATQVE INCLVTAE

S. R. I.

AC

HANSEATICAЕ CIVITATIS BREMENSIS

SENATVI

SYNDICIS

AMPLISSIMIS

MAGNIFICIS PERILLVSTRBVS CONSVLTISSIMIS

CONSLIBVS

SYNDICIS

SENATORIBVS

PATRIAЕ PATRIBVS OPTIMIS

PATRONIS ATQVE FAVTORIBVS SVIS

SVMMO HONORIS AC PIETATIS CVLTV

MAXIMOPERE VENERANDIS

ROTVA

HAS QVALESCVNQVE

ACADEMICORVM STVDIORVM

PRIMITIAS

EA QVA PAR. EST

ANIMI DEVOTI SVBMISSIONE

SACRAS FACIT

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR OBSERVANTISSIMVS

A V C T O R.

---

DE  
IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS  
VSVFRVCTVARII  
CIRCA REFECTIONEM AEDIFICIORVM.

---

§. I.

*Prooemium, rationem instituti complecens.*

Iura et obligationes ususfructuarii, circa refectionem aedificiorum, nondum eadem diligentia excusserunt *viri Doži*, qua in aliis materiis vicinis, id factum esse constat. Prostant quidem in materia ususfructus opera, eximia sane eruditione plena atque referta; quo refero varias illas diff. *Marci Aurelii Galvani*, de ususfructu (<sup>1</sup>), et *Gerhardi Noodt*, libros duo de eadem materia (<sup>2</sup>). Sed si de iuribus et obligationibus fructuarii, ratione refectionis aedium, et quousque ad impensas faciendas et ferendas obstringatur, in iis quaeritas, frustra agis; potius generalia tantum proferunt, et leges hinc inde vacillantes, intactas relinquunt.

A

Quae

Quae cum ita fint, et cum summos in utroque iure honores mihi ambienti, speciminis publice edendi officium incumbat; equidem nescio, vtrum laudem, an reprehensionem merere videar, si dicti argumenti, pro tenuitate virium mearum, tradandi, explicandique consilium cepisse fateor.

(<sup>1</sup>) Genev. 1676. in 4to. et deinde pluries, v. c. Tubingae 1788.

(<sup>2</sup>) In Eiusdem opp. Coloniae Agrippinae 1763. p. 337. — Extat etiam tractatus specialis de usufructu, qui habet auctorem *Io. del Castillo Sotomayor*, — quo tamen scripto, quamquam ilius causa operam dedi, vt frui mihi non licuit.

§. 2.

*Quid sit reficere generatim? habito tamen simul respectu, ad fructuarium aedium.*

Sed iam ad instituta pergam. Et cum inter caeteras obligationes, quibus fructarius afficitur, illa tantum in rem meam pertineat, qua ad refectionem aedificiorum obstringitur; ante omnia mei officii esse putavi, vt disquirerem, quid sit in iure nostro *reficere?* Quamquam enim teste *Iauoleno* in *lege 202. de R. I.* omnis definitio in iure sit difficillima, quia parum est, vt non subverti possit; tamen in hac materia, si qua vnuquam in alia, *recta notio rei*, de qua sermo est, adeo necessaria videtur, vt omnia certe incassum caderent, si illam omittere vellem.

Et

Et si vocabulum *reficere*, cui ex aſſe respondet *reparare*, ex suis iniſiis aeftimamus, nihil aliud certe denotat, quam, adhibitis mediis conuenientibus, rem aliquam, quae, quod ad formam et statum suum physicum, penitus nondum interiit, sed tantum vſui, ad quem ab initio destinata erat, varia ratione minus apta reddita eſt, citra omnem ſpecificationem, in statum originarium reducere, ut iam nunc vel aequalem, vel ſimilem fere vſum praeflet, quem olim forteſſe unquam praefliterit. Ex qua definitione adparet: duo requiri ad refectionem;

A) vt ne res, quoad formam externam, et statum suum physicum, penitus iam fit peremta; immo potius vſui tantum minus apta intelligatur. Si igitur forma aedificii alicuius in totum ſublata eſt, et ex materia ſuperfite aliud exſtruitur, potius *reſtauratio* eſt, non *reſectio*, seu *reparatio*; propterea, quod aliud plane eſt aedificium, in locum prioris quasi ſubſtitutum. Et ne aſſertio mea auctoritate ſua deſtituatur, provoco ad *tureconsulfum Vlpianum*, in *lege 10. §. 7.* quibus modis vſuſr. qui ita dicit: *in nauis quoque vſuſructu Sabinus ſcribit: si quidem per partes reſecta fit, vſumfructum non interire: si autem diſſoluta fit, licet iisdem tabulis, nulla praeterea adiecta, reſtaurata fit, vſumfructum extinſum: quam ſententiam puto veriorem.* Nam etſi domus fuerit reſtituta, vſuſructus extinguitur. Pari ratione neque illud factum, ſecundum *Iclum Paulum*, in *l. 83. §. 5. de verb. oblig.* ſub *reſectionis* nomine venit, si quis partes nauis alicuius, ea mente reſoluit, vt materia in aliud vſui deſtituetur; deinde, mutato conſilio, partes reſolutae iterum con-

iungantur. Semel enim interiit forma externa nauis, et hinc non *refecta*, sed *restaurata*, quinimo de nouo potius aedificata, dici meretur; quod tamen aliter se habet, si tabulae nauis tantum a possessore *refiguntur*, non plene *soluuntur*, et deinde suo ordine rursus componuntur. Hoc enim in casu navis nondum intercidisse, sed eadem illa mansisse videtur. — Id, quod etiam in aedificiis et aedibus iuris esse, manifestum est. Hinc, si quis tigna de aedibus ea mente deponit, ut aliquando reponantur, aedificium pristinum manet, quia forma aedificii nondum penitus interiit. Quodsi autem usque ad aream deponuntur tigna, etiamsi ex eadem materia restituantur; tamen aliud est aedificium, et hinc non *refectum*, sed *restauratum* vocari meretur.

Deinde requiritur in *refectione*:

B) ut res, *citra specificationem*, in statum originarium reducatur, quo usum praestare potest; nec in aliam plane formam immutetur, quam quae illi fuit ab initio. Hinc, si quis vasa argentea, usui, ad quem destinata sunt, iam nunc minus apta, per aurifabrum recudi, et reformari curat, is vasa non *refecisse*, sed *restaurasse*; imo si aliam plane formam iis dari iusslerit, illa adeo *immutasse* dicitur. Attamen, quae de immutatione rei dico, non tam *strictè* et *rigide* accipi debent, quasi in nulla parte rei, dum quis rem reficit, ne quidem in minima, mutationem aliquam contingere liceat; — Id enim ex natura rei fieri non potest; sed de partibus rei constitutius, integralibus, et principalibus intelligatur, necesse est; id, quod pruden-

prudentem iudicem obueniente casu, ex aequo et bono, pro substrata materia arbitrari oportet; quia alia eluctandi via, heic loci non suppetit. Ceterum notio *refectionis*, quam dedi, non tantum in materia *vsusfructus* ita seruatur; sed etiam in aliis materiis iuris, *recta* et *inusta* censeri potest, v. c. in stipulationibus. Vtor in hac re auctoritate *Illi Pauli*, in cit. L.83. §. 5. de *V. Obl.* dicentis: *sed si rescienda nauis causa, omnes tabulae refixa sunt, nondum intercidisse nauis videtur: et compositis rursus eadem esse incipit.* Sicuti de aedibus deposita tigna ea mente, ut reponantur, aedium sunt, *sed si usque ad aream deposita sit, licet eadem materia restituatur, alia erit.*

## §. 3.

*Divisio refectionis in modicam, et immodicam.*

Praemissa notione *refectionis* in genere, iam sequitur illius diuisio, in *modicam* et *immodicam*. Scilicet cum exercitio reparacionis s. *refectionis*, interdum, vel potius nimium saepe, ni forte semper, coniunctas esse videmus impensas, quibus res *farta testa*, vt aiunt, seruatur, et quas, si ex regula fiant, *modicas* vocant: si extra ordinem agantur, *immodicas* s. *magnas* nominant. Hinc, ipsam adeo *refectionem rei*, in *modicam* et *immodicam* diuiserunt Icti; prouti nempe in ea, vel *modica* vel magna impendia requiruntur. Sed quaenam impensa proprie fint *modicae*, et hinc ex regula fieri debant, — quaenam *immodicae*; — ideoque quaenam *refectio* sit *modica*, quaequam *immodica*? — in libibus adcurate determinatum non legimus. Occur-

rit quidem denominatio ipsa hinc inde, in fragmentis scriptorum veterum i<sup>t</sup>ctorum, quo pertinent l. 7. §. 2. de usufr. ibi: "modica refection ad illum pertinet — nec non l. 12. de impensis in rem dot. fact. ibi: "modicas impensis non debet arbitrio curare." Deinde l. 18. §. 2. commodati, "modica enim impendia verius est, ut sicuti cibariorum, ad eum pertineant." — Sed ad curatior determinatio, quam tamen ii, qui secundum leges viuere et iudicare debent, omnino expectare possunt, plane deest. Hinc etiam Doctores iuris in hac materia, varie sentiunt. Secundum enim Ge. Ad. Struvium (<sup>3</sup>), illae impensae pro immodiis sunt habenda, quae non fructuum rei causa facta sunt, sed perpetuam, non momentaneam et praesentem rei utilitatem respiciunt (<sup>4</sup>). Hinc, si possessor aedium nouam pilam, sive faxo instructam sive ligneam, ad onus aedium ferendum, substituit corruptae, quidquid sumtuum eo nomine impendit, quia ad perpetuam rei utilitatem respicit, est impensa *immodica*; et hinc ad *immodicam* refectionem pertinet. — Dav. Mevius (<sup>5</sup>) illas modicas nominare videtur, per quas possessor rei non multum oneratur. — Ex mente Pufendorfii (<sup>6</sup>), illae modicae impensae adpellari debent, quibus aedificia sarta testa seruantur, seu quae ad rem, in eodem statu seruandam, pertinent. Hinc, si vi tempestatis caeli, tectorum aedificii vna vice destruitur, quod non aliter, quam magnis sumtibus restitui potest, quidquid eo nomine impensum est, pertinet secundum Pufendorfium ad modicas impensis, ideoque ad refectionem modicam. *Alii* denique ad alia configunt, et ad tempus aliquod respiciendum esse putant. Scilicet illas esse *modicas* impensis statuunt,

statuunt, quae vltra vnius hominis aetatem, vix vsum prae-  
 stant. — Quae principia, quam fint lubrica, atque vacillantia,  
 quisque facile perspiciet, qui obueniente casu, illis forte, ob  
 auctoritatem tantorum virorum, insistit. Hac enim ratione tota  
 res, quae tamen, si forte vñquam alia, tanti momenti est, ab  
 arbitrio iudicis vñcice dependet. Quam autem sit pericolosum,  
 rem alicuius momenti, arbitrio iudicis vñcice relinquere, ii opti-  
 me sciunt, qui causas in foro agunt. Pro diuersis enim cau-  
 farum figuris, hodie sententia ita fertur, quae alio die in si-  
 mili casu aliter concipitur. Ex hoc fane nascitur illud ma-  
 lum, quo in detrimentum reipublicae, certe maius esse non  
 potest, *iuris silicet incertitudo*. — Quibus rebus ita com-  
 paratis, operam dedi, vt *principium* aliquod stabilirem, ex quo,  
 seposito periculo illo arbitrio iudicis, obueniente casu diiu-  
 dicari possit, an refectio sit modica, nec ne. Nempe, si dictu-  
 fas est, illud *principium* *iuris* in quæstione proposita, tam na-  
 turæ rei, quam legibus, optime conueniens putau, quo illa  
*modica* dicitur, quae tot, tantasque impensas non requirit, vt  
 aestimationem vñs rei, et redditus illius transcendat; — illa au-  
 tem immodica, quae plus desiderat. Quae notio, vt iusta et  
 recta probatur:

A) *ex materia commodati*; vbi secundum communem Docto-  
 rum opinionem, *commodarium* ad impensas modicas feren-  
 das obstringi, traditur; id est, ad eas, quae ordinariam mer-  
 cedem pro vñs rei, si locata fuisset, non superant.

B) *ex materia dotis*. Nempe maritum, medicos sumtus dotis  
 nomine, facere oportet; id est, illos, qui aestimationem utili-  
 tatis

tatis perceptae, non transgrediuntur; nullo habito respectu, utrum in conseruationem, aut perpetuam rei dotalis utilitatem facti, intelligantur. — De cetero, positum principium iuris, totam rem confidere videtur, in quaestione, infra definienda: quousque fructuarius adigi possit, ad rem fructuariam reficiendam.

(<sup>3</sup>) *Exercit. XII. th. 23.*

(<sup>4</sup>) *I. i. §. 3. de impenis in rem dotal.*

(<sup>5</sup>) *in Decif. part. 8. dec. 260. n. 5.*

(<sup>6</sup>) *in obf. Tom. I. obf. 42.*

#### §. 4.

*An inter se differant aedificia, aedes, domus, in materia vſusfructus?*

*Aedificium, aedes, domus, si curatores esse velimus, proprie inter se differunt; vti id videre licet in Sanctii Minerva(<sup>7</sup>); quas tamen differentias hic exscribere nolo. — Et posset omnino videri, istas differentias in materia vſusfructus, utilitatem praestare oportere; maxime, cum fructuarium aliter versantem videmus in refectione horrei, aliter in refectione aedium, quae ad inhabitandum sunt destinatae. Sed nihil minus, cunctis his subtilitatibus, tanto magis supersedendum esse censeo, quo certius constat, iura et obligations fructuarii, non tam obiectum, quam potius *id respicere*, vt res in eodem statu,*

statu, quo vīsibus originariis aptae sunt, seruentur. Fructuarium enim, vnaquaque rē vti frui oportet, secundum scopum rei; ita tamen, ac si domini vicem quasi suppleret. Quod exemplis egregie illustratur in *L. 13. et L. 15. de usufr. et L. 12. pr. et §. 1. eod.* —

(<sup>7</sup>) Ed. cum notis Gasp. Scioppii, et Iac. Perizonii Lib. 4. Cap. 3.

p. m. 549. — Add. Ludov. Aug. Würffelii iurisprud. definit.

§. 252. p. 172. ex ed. Viri Generos. Io. Henr. Chr. de Seichow.  
Francof 1786.

§. 5.

*Fundamentum obligationis generale, ex quo fructuarius ad refectionem aedium obstringitur.*

Vſuſructu legitime constituto, omnes omnino fructus rei, tam naturales quam ciuiles, siue necessitatem et indigentiam quotidianam ſpectent, siue compendium et voluptatem tantum, ad fructuarium pertinent (<sup>8</sup>); non quidem *ipſo iure* ad fructuarium pertinent, et modo quaſi originario, vti id iuris eſſe videmus in persona domini rei; ſed modo derinatio, ita ſcili-  
cet, vt accedente demum facto perceptionis <sup>9</sup>, illos iam ſuos facere poſſit. Constitutio enim vſuſructus, cauſam iuſtificatoria-  
riam, ſeu titulum tantum contineat, vi cuius vtilitates rei, ac-  
cedente facto, percipere licet. — Fructus tamen, quibus fructua-  
rius potitur, non ſenſu ſtrictiori ſumi debent; ſed *idea ſuperiore*,

B

qua

qua scilicet omnia commoda indigitantur, quae ex re aliqua, ad hominis utilitatem peruenire possunt, et propter quae res comparata esse solet; modo illas utilitates et commoditates excipiamus, quae vi legis specialis, ad fructuarium pertinere non possunt. Quae, dum adiicio, quemlibet intelligere arbitror, me exceptos esse velle, *thesaurum et partum ancillarum*. *The-  
saurus* enim ideo ad fructuarium non pertinet, quia Imp. *Ha-  
drianus* illum tantum domino soli esse voluit (<sup>10</sup>); et *partus  
ancillae* propterea fructuarii non est, quia auctore *Cornelio van  
Bynkershoek* (<sup>11</sup>), illo pro lubitu abuti, ideoque pro arbitrio  
corrumpere, et destruere non licet; quae tamen facultas de-  
struendi, cum idea fructus, semper coniuncta videtur. — Cete-  
rum fructuarius non prohibetur, quo minus ius suum, etiam  
per alios exerceat; hinc commodates et emolumenta, quauis  
ratione alienare potest, v. c. donare, locare, vendere etc. (<sup>12</sup>)  
Dominium tamen ipsum iuris sui, in alios cum effectu trans-  
ferre nequit; propterea, quod ususfructus a personis, quibus  
competit, sine interitu sui, discedere non solet (<sup>13</sup>). Proprie-  
tario tamen ius suum cedere, ipsi interdictum non est (<sup>14</sup>).

Cum igitur ususfructuarius tam efficace iure gaudeat, vi  
cuius tot, tantisque utilitates et commoditates, ex re fructua-  
ria percipere potest, idque non tantum ad necessitatem, ve-  
rum etiam ad voluptatem; nihil certe aequitati magis conueniens  
esse poterit, quam ut etiam iis *obligationibus* afficiatur,  
quae in ferendis incommodis versari spectantur; inter quas prae-  
caeteris eminent, atque conspicua est, illa obligatio, qua ad  
refectio-

refectionem rei usufructuariae, obstringitur. En igitur funda-  
mentum generale, ex quo fractuarius aedium, etiam ad illa-  
rum refectionem, secundum leges tenetur! Scilicet natura  
rei ita ferre videtur, ut eundem, qui gaudet commodis rei, et-  
iam sequantur incommoda. Quod fundamentum obligationis,  
non tantum in aliis materiis iuris regnare videmus, v. c. in  
tutela legitima, et patronorum; quippe quae propterea ad ad-  
gnatos et patronos pertinet, quia gaudent commodo successio-  
nis<sup>(15)</sup>; sed etiam in materia ususfructus, speciatim agnatum  
legimus in L. 7. §. 2. de usufr. "quoniam igitur omnis fructus rei  
ad eum pertinet: reficere quoque eum aedes per arbitrum cogi.  
Quibus etiam respondet L. 7. C. eodem. Quem in finem, fra-  
ctuario etiam a legibus imposita est, ea obligatio, qua re fru-  
ctuaria ut bonus paterfamilias vti obstringitur<sup>(16)</sup>. Quem de-  
nique in finem et cautionem praestare debet<sup>(17)</sup>; certo et  
evidenti indicio, ut propter commoda, quibus gaudet, etiam  
ita rem seruare satagat, ut semper eadem videatur.

<sup>(15)</sup> L. 7. pr. L. 9. pr. de usufr.

<sup>(16)</sup> §. 36. I. de R. D. et L. 12. §. f. de usufr.

<sup>(17)</sup> §. 39. I. de R. D. et L. 7. §. 12. soluto matrim.

<sup>(18)</sup> In Obf. Lib. 5. Cap. 7. pag. m. 34. — add. Chr. Gottl. Gmelin  
diff. de diuersis partus ancillae, et foetus pecoris iuribus §. 3.

<sup>(19)</sup> L. 12. §. 2. ff. de usufr. §. 1. I. de usu et habit.

<sup>(20)</sup> L. 15. familiae hercise.

<sup>(21)</sup> §. 3. I. de usufr.

(<sup>15</sup>) §. vn. I. de leg. patr. tut. — et I. ro. de R. I. — cap. 55. de Reg. Iur. in 6.

(<sup>16</sup>) §. 38. I. de R. D.

(<sup>17</sup>) L. i. pr. vſuſtr. quemadmodum, cav.

### §. 6.

*Fundamentum obligationis speciale, ex quo fructuarius ad refectionem aedificiorum tenetur.*

Quae haecnenus differui, de fundamento obligationis fructuarii, qua ad refectionem aedium obstringitur, *ex regula*, ideoque in casu dubio tantum locum habent; scilicet alia causa obligationis speciali deficiente. Quod si enim conventione partium, aut dispositione testamentaria, certus modus reficiendi est determinatus, ante omnia verba conventionis, et testamenti sunt inspicienda, quibus deinde stricte stare debemus; quae omnia exemplis clariora fiunt, quae leges passim nobis suppeditant (<sup>18</sup>).

Sed si forte culpa fructuarii, damnum aedificiis sit illatum, nouum oritur fundamentum praestandae refectionis, nullo habito respectu utilitatis, ex illis perceptae. Scilicet, secundum leges in re fructuaria, ideoque etiam in aedibus fructuariis, ita versari oportet vſuſtrarium, vti id decet bonum patrem familias. Vti frui debet ex arbitrio boni viri. Hinc ita rem custodiat necesse est, quemadmodum suas res, quilibet vir bonus et diligens, tractat atque custodit. Dolum ergo praesta-

praestabit, et latam et leuem culpam. Nec tamen ille gradus diligentiae sufficit, quem alias in suis rebus obsernat fructarius; sed talem adhibere illum oportet, qualem in *abstracto*, ut dicunt, quilibet paterfamilias seruare solet. Ita enim leges expresse praecipiunt, in fauorem, vti id quidem videtur, proprietarii, cuius vicem quasi supplere videtur. Hinc *Praetor* voluit, et *Illi* docuerunt, *vſuſructuarium* tam de restitutione rei ipsius, quam de eo cauere, *vſurum ſe boni viri arbitratu*<sup>(19)</sup>; — vel *boni viri arbitratu perceptum iri vſumfructū*<sup>(20)</sup>. Quod et sua auctoritate corroborat *Pomponius*, in *L. 65. pr. de vſuf.* qui dicit: *debet omne, quod diligens pater familias in ſua domo facit, et ipſe facere.* Quae omnia tandem confirmat *Imp. Iuſtinianus* in §. 38. *I. de R. D.* Sed his obſtare videntur, duo loca *Illi*, ex quibus id ſequi videri poſſet, fructuarium omnem omnino diligentiam, in re fructaria adhibere, ideoque culpam leuissimam praefare debere. Videlicet ait *Vlpianus*, in *L. 1. in fin. vſuſr. quemadm. cav.* “*fructuarium omnem rei curam fuiſcipere;* — et *Paulus* in *L. 2. eod.* “*fructuarium cuſtodiā praefare debere.*” Sed reuera non obſtant dicta loca. In priori enim, talis cura ſubintelligi debet, qualem diligens pater familias praefat. Et in *poſteriori* loco, vocabulum *cuſtodia*, in genere poſitum videtur, ita, vt quamecumque *diligentiam* denotet, fine adiectione gradus; ſicut hoc vocabulo certiſſime *vſus* eſt, *Illi Vlpianus* in *L. 13. §. 1. de pign. aff.* “*vt in commodato venit et cuſtodia.*”<sup>21</sup>

(18) *L. 61. de vſuſr. l. 46. 47. eod.*

(19) *L. 1. pr. vſuſr. quemadm. cav.*

(20) *L. 1. §. 3. eod.*

*Obligatio fructuarii aedium, ex regula non est absoluta,  
sed respectiva; binc etiam suo modo potest derelinqui  
vſusfructus.*

Obligatio fructuarii, qua ad refectionem aedium obstrin-  
gitur, ex regula non absoluta et talis est, vt etiam sine re-  
spectu aedium illa afficiatur; sed respectiva tantum dici potest;  
id est, obligatur plerumque demum, tanquam possessor aedi-  
ficiorum. Hinc, si facto hostium, vel casu aliquo fortuito, v.  
c. tempestate coeli, aedes corruptae redduntur, ita, vt iam  
vſui non penitus aptae intelligentur; nihilominus ad refectionem  
fructuarius obligatur, et illius nomine legitimis mediis  
conueniri potest; propterea, quod adhuc est in possessione.  
lis tamen, casu fortuito, in totum sublati, cessat possessio;  
ideoque et obligatio, illas suis sumtibus restaurandi; maxime,  
cum casum sentire non debeat. Immo potius vſusfructus  
hoc in casu penitus desit; nec suo iure agit, si sponte sua  
illas restituit. Quodsi tamen, aedibus in totum non euer-  
sis, sed iis tantummodo maximam partem corruptis, iure  
suo iam nunc vti noluerit fructuarius, vſumfructum illarum  
suo modo derelinquere non prohibetur; attamen cum distinc-  
tione. Scilicet, si corruptio culpa possessoris contigerit, le-  
gitimis remedii adigi potest, ad eas reficiendas; nec bene-  
ficium derelictionis ipsi competere potest. Quam speciem  
facti, expresse tractat Pomponius in L. 65, de vſusfructu. "sed cum  
fructuarius debeat, quod suo suorumque facto deterius factum  
fit,

sit, resicere: non est absoluendus, licet usumfructum derelinquere paratus sit. Sin autem alia ratione damnum aedibus est illatum, non culpa ventis; videndum esse puto, quo titulo ius usumfructus nitatur. Sin titulo onerofo, equidem crediderim, derelictionem cessare; maxime, cum nemini liceat, citra consensum alterius, a contractu onerofo recedere (22). Sin autem titulo lucrativo constat, v. c. titulo legati, — derelictio illius semper permissa videtur; partim ob regulam iuris generalem, quam tradit Tryphonius in L. 46. de pactis; — partim ob alias leges speciales, quibus id expresse permisum legitimus; etiam adeo post iam litem contestatam. Ita enim dicit Ulpianus in L. 64. de usufr., "Cum usufructuario paratus est usumfructum derelinquere, non est cogendus domum resicere, in quibus casibus usufructuario hoc onus incumbit. Sed et post acceptum contra eum iudicium parato fructuario derelinquere usumfructum, dicendum est, absolti eum debere a iudice. — Quibus etiam assentit Paulus, in L. 48. eod. — Ne tamen proprietario, occasione derelictionis aedium, damnum inferatur, quia iam vacuae sunt possessionis; caute asturn est fructarius, si suscepsum consilium adperiat proprietario, vt is iam curam habere possit rei suae; ducto argumento ex eo, quod iuris est in conductore, rem conductam ex iusta causa deserente.

(22) L. 5. C. de oblig. et act. ibi: "renunciare femei constitutae obligationi, aduersario non consentiente, nemo potest." Add. L. 29. C. de pactis. L. 74. 75. de R. I.

## §. 8.

*Limites obseruandi a fructuario aedium in refectione, ne  
scilicet quid immutetur.*

Ex idea et indeole refectionis rite formata, generatim sequitur, fructuarium omnia ea facere oportere, vt aedificia *farta testa*, id est, integra atque incorrupta permaneant (<sup>22</sup>); ideoque ea media eatenus adhibere debet et potest, quae ad aedes in eodem statu, *vbi nunc sunt*, id est, vti sunt tempore constituti *vſusfructus*, conseruandas pertinent (<sup>23</sup>). Ulterius tamen, nec obligatur *vſusfructarius*, nec progredi sua sponte ipſi fas est. Hinc, non tantum adigi nequit, vt meliores reddat aedes, hoc est, tales sumtus in eas impendat, quibus in eum statum deducantur, quo tempore constitutionis *vſusfructus* non fuerunt; multo minus vt suis sumtibus nouas exstruat, quae iam per se intelliguntur; sed nec aedificia *vſui* tantum minus apta, ita extruere potest, vt pristina forma in totum negligatur; etiamſi meliora eo ipso redditia videantur (<sup>24</sup>). Hoc enim reuera esset *mutatio* aedium, quae simul dispositionem de substantia rei inuolueret; et de substantia rei disponendi facultatem fructuario datam esse, nullibi legibus deprehenditur. Nam praeter ius vtendi fruendi, ipſi nihil est concessum; potius finito *vſusfructu*, rem in specie restituere debet; quae tamen restitutio in specie fieri nequit, si aedificia *mutata* adpareant. Quae omnia iam nunc adperte cum iis conueniunt, quae tradit *Vlpianus* in *I. 7. in fin.* et *I. 8. de vſuf.* — scilicet, fructuarium aedificia nec ampliare posse, nec inutilia detrahere, quamuis melius fit

fit repositurus; certo sane et indubitato indicio, *aedificiis esse utendum, uti nunc sunt.* — Hinc etiam secundum eundem *Iotum*, in *L. 13. §. 7. eod.* fructuarius nec aedes altius tollere, nec diaetas, id est, illam partem aedium, qua prandere, atque coenare solent, transformare, coniungere, aut separare; — multo minus aditus, et posticas vertere in alium finem, nec refugia (interiores partes aedium) aperire, vel atrium, et viridaria, ad alium modum conuertere. Pari ratione, nec parietibus nouum *riuum*, id est, collicias et canales aquae pluviae causa, vbi antea tales non fuerunt, — nec nouum plane tectorium, si parietes rudes sunt, imponere potest; testante id manifeste *Iota Neratio*, in *L. 44. et 61. de usufr.* — Quid? quod nec inchoatas aedes perficere, atque consummare poterit; etiamsi eo loco, quo coepta sunt aedificia, alias uti non possit; idque secundum *Neratium* in *cit. L. 61. de usufr.* non sine ratione. Nam si iis locis, vbi inchoata sunt aedificia, aliter uti non licet fructuario, nequidem illorum *usufructus* constitutus videtur. —

Ratio omnium horum, in natura et indeole *usufructus* ponи debet. Scilicet fructuarius *ad summum modo* obligatur secundum leges, *tueri*, id est, in eodem statu conseruare, quod accepit; non nouum aliquod facere, id est, mutare, ideoque disponere de substantia rei. Quam rationem etiam nobis suppeditat, saepius iam cit. *Iota Neratius* in *L. 44. de usufr.*

Nec hic obstat, quod *Vlpianus* in *L. 13. §. 7. eod.* tractat; posse scilicet fructuarium, aedificiis lumina immittere, colores

in iis, picturasque adiplicare, marmora ponere, et sigilla, et si quid ad domus ornatum, etc. Cuncta enim haec, adparentem potius, quam veram mutationem involunt; certe non talem, qua fructuaria res illa esse desinat, quae fuit ab initio; id, quod exemplo ornamentorum maxime fit clarum.

Sed principio, fructuarium scilicet formam rei fructuariae immutare, et hinc de substantia rei disponere non posse, valde obstare videntur ea, quae profert *Vlpianus in lege 13. §. 5. de v/sfr.* vbi fructuario permisum esse dicit, deiectis vineis lapi-dicinas, cretifodinas, metallifodinas, et id genus alia, instituere, si forte in his, quaeae instituit, plus redditus sit, quam in vineis, arbustis, et oliuetis. Ex his enim manifeste sequi videtur, fructuarium, si id ipsi expediat, de substantia rei disponere posse. Respondet ad hoc dubium *Voetius* (<sup>25</sup>); sed, vti quidem opinor, non ita solide, vt alias solet. Nempe dicit, v/sfructuarium aedium, ideo formam aedificiorum immutare non posse, quod eo ipso aedificiis, disiectis, adspectus vrbis deformaretur; quam rationem cessare putat, in v/sfructu rei, quae soli est. Sed hac ratione admissa, adperte id sequitur, v/sfructuarium aedificii, in loco ab vrbe separato positi, illud pro lubitu mutare posse, quia iam ratio legis cessat; — quod tamen nemo serio afferere potest. Deinde etiam veteribus, et deformibus aedibus deiectis, nouisque repositis et substitutis, adspectus vrbis melior potius redditur; ad quod faciendum quisque bonus ciuis, si facultates id permittant, adeo tenetur. — Nec feliciori successu rem consecuisse videtur, acutus *Coc-*  
*ceii*

ceii (26), dum dicit: in cit. l. 13. §. 5. 6. de *vſuſr.* — *mutationem rei* non occurrere, sed potius *mutationem vſus*; quippe quem pro arbitrio mutari posse putat. At valde vereor, vt haecce adsertio sit legibus conueniens; propterea, quod ait *Vopianus* in l. 13. § 8. de *vſuſr* eum, cui *vſuſructus domus legatus* est, nec posse illic meritoria, sive diuersoria facere, — nec illam ad stationem iumentorum locare; — sicuti nec stabulum, quod domus erat, iumentis et carrucis vacans, pistrino locare. Missis ergo hisce rationibus, quippe quae rem non conficiunt, aliam eluctandi viam nos quaerere iam oportet. Et, si dicendum quod res est, nec adeo laborandum erit; modo ad id animum attendamus, ipsam naturam rei, hic quidem differentiam constituere. Scilicet, constituto *vſuſructu* in praedio soli, fructuario in toto fundo ius competit, et hinc etiam in singulis partibus illius; ideoque non tantum iis emolumenis ordinariis frui potest, quae, vt v. c. fructus, supra faciem terrae seſe exferunt, et vno quasi adſpectu intueri possumus; sed et iis, quae sub terra latitant, et clausa tenentur, et hinc non statim in oculos incurront. Si ergo *vſuſructarius* argentifodinam detegit in fundo, etiam ex ea vtilitatem quaerere potest, remotis antea iis, quae obſtant. Factum orgo, quo fructarius vineas deiicit, vt metalla nanciscatur, non est cauſa efficiens vtilitatis percipiendae, sed tantum principium remouens; atque non magis *veram mutationem rei* continet, quam aratio praedii rustici. Potius medium est, quo iis commoſis potitur, quibus suo iure potiri potest. Quae omnia aliter eſſe videmus, in *vſuſructu* aedium. In hoc enim ius tantum competit in

ipsum aedificium, non in fundum, quo possum est. Aedificium autem *totum aliquod* constituit, cuius singulae partes, ex quibus emolumenntum fluere potest, uno quasi obtutu perlustrari possunt. Hinc in iis, nouae detectiones, vti in rebus, quae soli sunt, fieri plane non possunt. Nec enim aedes deicere licet, quia eo ipso ususfructus extingueretur; nec nouas substituere, quia tunc aliud esset obiectum; nec in alium finem aream conuertere potest, quia in fundo usumstructum non habet. Hinc etiam fructuario rei, quae soli est, non licet exstruere aedificium, nisi forte fructuum conseruandorum causa<sup>(27)</sup>, ob fauorem agriculturae. Et fructuario aedium, non licet terram fodere, metallorum et lapidum causa. *Breibus natura rei* hic differentiam constituere, mihi quidem videtur.

Quae cum ita sint, regula: *fructuarium aedifica mutare non posse*, in *theoria iuris*, stat inconcussa; cui tamen in *praxi*, non adeo stricte insistere volunt pragmatici; propterea, quod proprietario, si fructuarium conueniret, quod aedificium in melius mutasset, sine dubio obstat exceptio: *Tua non intereſſi*; quippe quae exceptio omnem agentem in iudicio repellat<sup>(28)</sup>.

Sed restat alia *quaefio*, ad quam nunc iam peruenio. Scilicet quaefionem mouent, quid iuris, si fructarius nihil minus, et quasi de facto aedifica mutauerit? — Respondeo: aut mutauit in praeiudicium proprietarii; — aut in illius utilitatem, ita, vt aedificia iam nunc meliora extent. *Priori casu*, factum mutationis simul continet damnum illatum, hinc illud ab auctore est resarcendum; id, quod iam per se claram

rum est. *Posteriori* autem casu, *suo quidem iure* non egit fructuarius, id est, iure vſusfructus; — et hinc nec sumptus, *qua fructuarius*, eatenus repetere potest; maxime, cum renitente lege egisse appareat. Hinc ait *Neratius* in *L. 44. de vſuſr.* “*nouum testo-rium parietibus — imponere non potest: quia, tametſi meliorem, excolendo aedificium, domini causam facturus effet, non tamen id suo iure facere potest.* — Cum tamen mutatione aedium in partem meliorem, *causam* potius proprietarii egisse videatur, illiusque utilitatem manifeste promouerit, pro variis causarum figuris, *vel* in qualitate negotiorum gestoris, *vel* mandatarii, ideoque alia plane persona induita, impendiorum factorum persecutionem habebit; idque tanto magis, quo certius est, leges non pati, aliquem locupletari, damno alterius. Hinc etiam dicit *Iulus Vlpianus* in *L. 13. §. 4. de vſuſr.* “*fructuarius causam proprietatis deteriorem facere non debet, meliorem facere potest.*”

(<sup>22</sup>) vid. *Gesner* in *Fabri theſ.* voce: *sartas*.

(<sup>23</sup>) *Pufendorfius* in *Obſ.* Tom. I. obſ. 47. §. 20.

(<sup>24</sup>) *L. 44. de vſuſructu.*

(<sup>25</sup>) In *Comment. ad Dig. tit. de vſuſr.* §. 24.

(<sup>26</sup>) In *Iure Controv.* Lib. 7. tit. I. qu. 3.

(<sup>27</sup>) *Arg. L 73. de vſuſructu.*

(<sup>28</sup>) *Brunnemann* ad *L. 44. n. 3. ff. de vſuſr.* *Stryck* in *V. M.* Lib. 7. tit. I. §. 6.

## §. 9.

*Quousque vſufructuarius obſtringatur, ad impensas  
refectionis aedium nomine faciendas, et ferendas?*

Sed iam ad verum ventum est, — ad illam, puta, quaſſionem ventum est, quousque fructuarius adigi poſſit, ad impensas aedium nomine faciendas, et ferendas? — Fructuarium generatim obligari ad refectionem, a nemine in dubium vocatur, nec etiam in dubium vocari potheſt; niſi forte ab iis, qui naturae rei, et legibus de industria ſe opponere geſtiunt. Quaefatio ergo tantum illa eſt, quousque a fructuario aedium, impensae fieri debeant, ſi ſcilicet neque conuentione partium, neque testamento, aliquid diſpoſitum deprehendimus? Haec quaefatio non vanae, et inanis ſubtilitatis cenſeri debet; cum egregios pariat effectus, reſpectu repetitionis ſumtuum, finito vſufructu. — Et ne in hoc articulo laborare videar, hoc prae- primis notatu dignum iudico; ſcilicet, commune illud *Dodo- rum* (29) principium, quo fructuarius ad eas impensas teneri, traditur, quibus aedificia ſarta teſta feruantur, ſeu quae ad rem, in eodem ſtatu feruandam pertinent, in quaefatione pro- poſita, plane non ſufficere. Hoc principium potius, genera- tim intelligi debet de obligatione, qua fructuarius ad reficien- dum obſtrigatur; neutiquam in illa quaefatione, quousque fru- ctuarius obligetur, vſum praefare potheſt. Si enim ex illo prin- cipio, rem decidere vellemus, fructuarius, eiusue heredes, damnum nimium ſaepe afficerentur, ex impensis, in rem fru- ctuariam factis; quod tamen aequitas naturalis, vix pati vi- detur.

detur. Fac enim, fructuarium in aedes refectionis causa, im-  
 pendisse ducenta. Fac, iis impensis, illum mox decedere.  
 Num heredes ducenta repetere possunt? Secundum princi-  
 pium adductum non possunt; propterea, quod id tantum fe-  
 cisse videatur defunctus, ad quod secundum leges tenebatur.  
 Fac e contrario, fructuarium columnam aliquam poni, atque  
 substitui curare, sumtu *viginti thalerorum*; qua posita, vtitur  
 fruitur aedificio per XXX. annos, et moritur. Secundum  
 principium traditum, heredes reposcere possunt illos *viginti*,  
 sumtuum nomine factos; quia in substantiam rei, et perpetuam  
 illius existentiam, versio facta est. Simili modo nec illorum  
 sententia, in quaestione agitata, pro principio valere poterit,  
 qua fructuarium, ad eas impensas faciendas teneri statuunt,  
 quae vltra hominis aetatem, vix sunt duratura. Hac enim  
 ratione, a proprietario nihil repeti poterit, si v. c. tectorio  
 aedificii, magnis sumtibus reparato, mox moritur fructuarius;  
 maxime, cum tectorium vix durare videatur, per hominis ae-  
 tam; quod tamen sine iniquitate, statuere non possumus;  
 cum proprietarius damno fructuarii manifeste locupletetur. —  
 Quae cum ita sint, pro hac quaestione definienda, prouoco ad  
 ea, de quibus iam supra §. 3. differui. Scilicet, cum omnibus  
 Doctoribus hoc mihi constat, fructuarium teneri ad refectionem  
 modicam, non ad immodicam. Quaenam autem talis sit,  
 nec legibus, nec scriptis Ictorum satis declaratum inuenio.  
 Et cum supra iam monere licuerit, illam esse modicam, quae tot,  
 tantosque sumtus non requirit, ut aestimationem vsus rei, et  
 reditus illius transgredietur, quippe quod per aestimatores  
 optime

optime definiri potest; etiam adhuc in hac sententia persistere me oportet; et hinc totam quaestionem, illo unico principio optime confici posse confido, si ad utilitates, ex aedificio oriundas, respicimus, et quidem sine distinctione, sive impensae in perpetuam proprietatis existentiam vergeant, nec ne. Hinc, quoque fructarius ex aedibus utilitatem vel iam habuit, vel ut bonus pater familias, ex iis habere potest, eousque illum etiam obligari statuo, ad facendas et ferendas impensas refectionis. Quod principium iuris, non solum naturae rei, et aequitati conueniens est; sed et aliis principiis iuris optime respondet, imo praeiudiciis *Doctorum* confirmatur, nec etiam legibus de usufructu disponentibus, aduersatur.

*Primo* conueniens est naturae rei et aequitati. Naturalis enim ratio haud patitur, aliquem ex re aliqua, plus damno affici, quam ex illa utilitatem percepit, et probabiliter percipere potest. Hinc, si ex rebus nostris damnum aliis infertur, citra nostram culpam, praeeunte natura rei, illas derelinquere licet, easque noxae quasi dare; certo sane indicio, ne ultra veram aestimationem et utilitatem, res nobis debeat esse damnosa.

*Secundo*, respondet mea assertio, aliis principiis iuris. Sic enim maritus, qui in hac materia, proxime ad fructuarium accedit, eatus tantum ad impensas in rem dotalem facendas et ferendas obstringitur, quatenus ex ea fructus vel perceptum, vel percipere potest; et quidem sine respectu, ut *Leyserus* (<sup>30</sup>) recte monet, utrum sumptus in conseruationem rei dotalis, an in perpetuam illius utilitatem vergeant. Hinc *Iustus Vlpianus* considerate et  
consulto

consulto ait, in l. 7. §. fin. soluto matrimonio: maritum illas impensas facere debere, quae in tutelam aedificiorum factae sunt: "scilicet, si ex aedificio — fructus aliqui percipiebantur." Hinc recte etiam dicit Alexander III. Pontif Max. in cap. 4. X de ecclesiis aedif. vel reparandis: rectores ecclesiarum, eatenus compelli posse, ut de reditibus, quatenus eis supersunt, teneantur conserre ad reparationem aedium ecclesiarum; properea, quod ad instar fructuariorum, integros reditus parochiales percipiunt. Hinc denique et commodatarius, iuxta L. 18. §. 2. ff. *commodati*, eosque obligatur ad impensas faciendas, quoisque utilitatem ex re habuit; id est, quoisque impensae, locarium rei solitum, non transgredientur. Quibus omnibus accedunt et praeiudicia Doctorum, Richteri (<sup>31</sup>), Brunnemanni (<sup>32</sup>) et Leyseri (<sup>33</sup>), aliorumque, qui meam sententiam satis abundeque confirmant. Cunctis his rite consideratis, nec obstat L. 7. §. 2. de *usufr.* vbi *Iulus Ulpianus* ita dicit: *si qua tamen vetustate corruissent, neutrum cogi reficere.* Aedibus enim collapsis, ad earum reparationem, tot tantaeque impensae plerumque et ex regula requiruntur, quot quantaeque, iis refectionis, deinde utilitates non praestantur, quae par sunt sumtibus impensis. Hinc citata lex, aperte loquitur de impensis immodicis, ad quas faciendas fructarius cogi non potest. — Quemadmodum autem fructarius cogi non potest, ad aedes collapsas reficiendas; ita nec proprietarius adigi poterit, ut suis sumtibus eas restituat; testante id claris verbis *Isto*, in cit. l. 7. §. 2. de *usufructu*. — Nihilominus tamen iure statuere posse credo, tam fructuario, quam proprietario, ius competere, sua sponte illas reparare. *Proprietario* ideo, quod est dominus aedium. *Fructugrio* propter

D

ea,

rea, quod, auctore *Vlpiano* in *L.* 13. §. 4. *de usufr.* causam proprietatis quidem meliorem, sed non deteriorem facere potest. Quod si tamen proprietarius, aedificia collapsa restituerit, negotia fructuarii gessisse quasi videtur; et hinc fructuarius, suo quidem iure, vsumfructum eorum exigere non prohibetur; restitutis tamen antea sumtibus, quos proprietarius eorum nomine fecit<sup>(34)</sup>. Quos deinde sumtus fructuarius, finito usufructu, quatenus nimirum plus non est in utilitate percepta, repetrere poterit. Sin usufructuarius aedificia collapsa refecerit, iis iure suo utri frui licebit; impendia tamen eo nomine facta, a proprietario, finito usufructu, restitui fas est; quatenus scilicet utilitates ex iis perceptae, sumtibus factis haud sunt aequales.

(<sup>29</sup>) *Struvii syntagm. I. C. Exercit.* 12. th. 23. *Berger in Oec. Iuris.* L. 2. tit. 3. §. 19. th. 7. *Pufendorfius P. I. obs.* 47. §. 20.

(<sup>30</sup>) *In medit. ad ff. Sp. 321. m. 1. 2.* —

(<sup>31</sup>) *In Decis. XX. n. 6. 7. 8.* — “Decisio nostra ita intelligenda „est, vt usufructuarius quidem ad omnia onera teneatur; modo „vsumfructum non absorbant. Hinc id quod excedit, repe- „tere potest a fructuario.”

(<sup>32</sup>) *Ad leg. 7. C. de usufr. n. 3.* “Iudex considerabit, quantita- „tem fructuum, et respectu horum sumtus magni, et medio- „cres dicuntur.”

(<sup>33</sup>) *In medit. ad ff. Sp. 106. m. 3.* “Usufructuarius onera omnia „ordinaria et extraordinaria, quin et tributa bellica ferre debet. „Addunt tamen limitationem Doct. nisi immoda sint, et fru- „ctum excedant. Quae limitatio aequa est, et male in dubium „vocatur a *Garsia de expensis Cap. II. n. 61.*” —

(<sup>34</sup>) *I. 50. de usufr.*

*De computatione vtilitatum ex aedificiis perceptarum;  
nec non de aestimatione sumtuum, refectionis nomine  
factorum.*

Cum igitur principium, quo refectiones, quatenus fructuum et vtilitatum rationem non excedunt, ad fructuarium pertinere diximus, omnino valere videatur; iam nunc computatio harum rerum, tam vtilitatum ex aedibus perceptarum, quam sumtuum eo nomine erogatorum, consideranda mihi venit. Circa quam computationem tamen, nouae oriuntur disputationes. Scilicet disceptant inter se Interpretes,

A) *vtrum excessus fructuum, tantum illius anni, quo sumtus facti sunt; an redditus omnium annorum, quibus duravit vsusfructus, in rationes sint referendi?* — Deinde disputant:

B) *vtrum sumtus factos, secundum tempus restitutionis; an secundum tempus, quo facti sunt, aestimari oporteat.*

Quod *primam* quaestione attinet, equidem eorum opinioni accedere non dubito, qui putant, repetitioni sumtuum, non aliter locum esse, nisi iis, emolumenta omnium annorum, quibus duravit vsusfructus, penitus absorbeantur; ideoque tunc tantum fructuarium adiuuandum esse credo, cum mole et multitudine sumtuum, totus vsusfructus inutilis factus intelligatur; non, si vnius tantum anni vtilitas absorbetur. Vtor hac in re argumento, quod desumtum est ex l. 8. ff. locati cond.  
— et ex cap. 3. X. eod. — Si enim in locatione conductione sterili-

sterilitatem vnius anni, cum vbertate alterius compensari, aequum est; certe id etiam in hac materia, iuris et aequitatis esse debet (<sup>35</sup>).

De caetero in hac lite id paeprimis notatu haud indignum puto, vtilitates nempe ex aedibus perceptas, non ex iis emolumen-  
tis aestimari, quae fructuarius actu et reuera iam percepit;  
sed potius ex iis, quae percipere facile potuisset; maxime cum  
negligentia fructuarii, proprietarius damnum pati nequeat.

Quod alteram quaestionem attinet, *vtrum scilicet impen-  
dia facta, secundum tempus quo restituuntur; an secundum  
tempus, quo facta sunt, aestimari debeant?* Bergero (<sup>36</sup>), aliisque assentiri non possum, qui tempus restitutionis, indi-  
stincte respici oportere, docent; potius eadem ratione distin-  
guendum esse arbitror, vt in marito distinguere solemus. Ne-  
cessaria, puta, aestimari debent, ex tempore quo facta sunt;  
subductis videlicet vtilitatibus, quibus possessor interea fruitus  
est; qua ratione etiam commode intelligi potest *I. 58. de leg. I.*: ibi: “aedificiorum aetatibus examinatis;” subaudi: quibus pos-  
sessor vtilitatem ex iis percipere potuit. Vtilia e contrario  
impendia, aestimentur necesse est, secundum tempus restitu-  
tionis; propterea, quod fructuarius ad illa facienda non erat  
perfecte obligatus; hinc, si nihilominus fecit, renitente quasi  
debet, praesentis temporis pretio.

(<sup>35</sup>) Leyser in medit. ad ff. Sp. 106. m. 3.

(<sup>36</sup>) In *Oec. Iuris Lib. 2. tit. 3. §. 7.*

*De remediiis iuris, vſufructuario aduersus proprietarium  
refectionis nomine, competentibus.*

Sed nec silentio praetermittenda sunt remedia iuris, quibus fructarius aduersus proprietarium, refectionis s. reparationis nomine, experiri potest; de quibus adhuc ea, qua fieri potest breuitate, differere animus est<sup>(37)</sup>. Et si remedia, quae fructuario aduersus proprietarium competent, generatim intuemur, illa duplicitis generis esse, videmus: vel *iudicialia*; vel *extraiudicialia*. Extraiudicialium remediorum dantur duo: scilicet,

- A) *ius retentionis*; et
- B) *ius tollendi* ea, quae proprietarius agnoscere non tenetur, quia reuera eorum impendium, illius non interest.

*Primum de iure retentionis.* Finito nempe vſufructu, illas impensas repetere potest fructarius, ad quas faciendas perfecte erat obstrictus; quatenus scilicet percepta ex aedibus emolumenta excedunt. Et quia duo illa requisita primaria, puta, *inſta poſſeo*, et *connexitas debiti*, quae ob versionem in rem alienam fundata spectatur, hic certe *coniunctim* concurrunt, in quibus omnem vim et potestatem iuris retentionis consistere scimus: illud etiam fructuarium eiusue heredes, optimo iure exercere posse, crediderim; maxime cum leges eidem multo magis dare soleant retentionem, cui concedunt actionem<sup>(38)</sup>. Neque etiam distinctionem hic attendendam

E

effe

esse puto, inter illas impensas, quas alias necessarias vocant, et vtiles; propterea, quod omnes impensae, ad quas facientes fructuarius *perfecte* obligatur, rationem *necessariarum* habere videntur. Inferuiunt enim conseruationi aedium, vt illae semper eadem maneant, *vti nunc sunt*; quae impensae omnino necessariae vocari merentur.

*Alterum* remedium *extrajudiciale*, quo *vti* potest suo modo fructuarius, est *ius tollendi*. Si scilicet *usufructuarius*, praeter ius et obligationem suam, sumtus in aedes impenderit, quibus meliores atque ornatores, iam nunc quidem redditae apparent, sed absque omni interesse proprietarii renitente quasi lege, illos fecisse videtur. Ad illas enim tantum impensas facientes eatenus tenetur, quibus adhibitis, aedificium in eodem statu seruatur, ceu supra iam est obseruatum. Ex quo aperte sequitur, omnes impensas, quas fructuarium qua talem facere oportet, necessarias intelligi. Si igitur praeter obligationem suam impensas fecerit, quarum impendium proprietarii non adeo interest, renitente lege manifeste egit; et hinc nec iure retentionis huius impendii nomine, *qua fructuarius*, gaudere potest. Non ideo, quasi m. f. possessoribus accensendus sit, dum vtiles et voluptuarias impendit; sed propterea, quod hisce impensis, legem *usufructus* non seruauit, dum sciens in rem alienam aliquid impendit. Nec obstat, quod iuxta L. 38. ff. de hered. pet. — adeo in m. f. possesso, ratio impensarum sit habenda; ex quo sequi videri posset, idem illud multo magis statuendum esse in fructuario; quippe qui ne quidem m. f. possessor dici potest. Citata enim lex, beneficium reten-

retentionis non indigitat; sed quaestionem tantum concernit, an et quatenus m. f. possessor, factas impensas repetere, illaque *officio* saltim *iudicis* seruare queat. Cum igitur ratione earum impensarum, quibus commodum proprietarii non adeo promouetur, ius retentionis ex parte fructarii, penitus cesse: æquitas naturalis, id quidem suadere videtur, illum saltim earum nomine, *ius tollendi* habere oportere<sup>(39)</sup>; modo id salua substantia rei, commode exerceri possit.

Remedia *iudicialia*, quae fructuario competit, iterum duplicit generis intelliguntur: vel *realia*; vel *personalia*. Ad illa pertinet *reiuindicatio*, iuxta sensum L. 15. pr. ff. de *vſuſr.* — Si scilicet fructarius aliquid inaedificauit, ad quod perfecte non erat obligatus, finito vſufructu inaedificatum nec tollere, nec refigere potest, quia id, quod fundo inaedificatur, fundo etiam cedere solet. Quod si tamen corruit aliquando aedificium, vel a proprietario ea refiguntur quae sunt inaedificata, *refixa* vindicare non prohibetur.

Remedia in personam competentia, sequentia sunt:

A) *actio negotiorum gestorum contraria*. Scilicet, dum reficit fructarius, et impensas facit, tam necessarias quam vtiles; negotium suo modo proprietarii simul gessisse videtur, quem hinc etiam sibi obſtrictum reddit, ideoque factas impensas, iudicio negotiorum gestorum ab eo petit, quatenus nimirum sumtus, transcendunt vtilitates perceptas<sup>(40)</sup>. Ex scientia enim eius, qui scire potuit, rem esse restituendam, et ex eo, quod rem meliorem reddidit, colligunt Doctores in L. 5. §. *sed etſi putauſi*, ff. de *neg. gestis*, animum obligandi eius, qui melioravit.

E 2

Quod

Quod si tandem eiusmodi impendia facta esse appareat, accedente consensu proprietarii, tam antecedente, quam subsequente, fundatur eorum causa

B) *actio mandati contraria*; iuxta mentem L. 60. ff. de R. I.  
— Vbi *Ictus Ulpianus* ita docet: “semper qui non prohibet pro se interuenire, mandare creditur; sed et si quis ratum habuerit, quod gestum est; obstringitur mandati actione”<sup>(41)</sup>.

(<sup>37</sup>) De iis tamen remediis, quae ratione ipsius iuris resciendi dari solent, ideoque etiam *rescissionis* nomine, suo modo competent, mihi h. l. sermo non est; hinc illa tantum breuissimis indicasse sufficiat. Pertinent huc I) *remed. pet.* puta, *actio confessoria*. II) *remed. poss.* vt pote, a) *interdictum uti possidetis.* L. fin. ff. vii possid. — b) *interdictum quod vi aut clam.* L. 12. ff. quod vi aut clam. — c) *interdictum unde vi, et remed. spoliis.* L. 3. §. 13. 14. 17. ff. de vi et vi armata.

(<sup>38</sup>) *Arg. §. 30. I. de Rer. Div.* — et L. 4. C. de *usuris*. Add. L. 12. ff. de *doli mali et metus except.* ibi: “qui aequitate defensionis infringere actionem potest, doli exceptione tutus est.” L. 2. §. 5. ff. eod. ibi: “et generaliter sciendum est, in omnibus in factum exceptionibus doli oriri exceptionem: quia dolo facit, quiunque id, quod quaque exceptione elidi potest, petit.” — Plura de iure retentionis dicere, equidem non ausim; propterea, quod extet diff. *Viri Perill.* G. L. *Böhmeri*, vbi omnia congeta atque exhausta inueniuntur, que de hac materia dici possunt.

(<sup>39</sup>) *Arg. L. 9. ff. de impens. in rem dotal. fact.*

(<sup>40</sup>) L. 7. C. de *usur*. — L. 6. §. 3. ff. de neg. gesl. *Stryck in V. M. Lib. 7. tit. I. §. 6.*

(<sup>41</sup>) *Voelius in Comment. ad Dig. tit. de neg. gesl. §. 14.*

THE-

*enim matrimonio a iuramento nuptiale interponit voluntate  
huiusmodi ac voluntatis voluntas maritalis ut ruitus et deponit*

## THESES

### VARII ARGUMENTI.

1.

*In legitimatione per subsequens matrimonium, fiducia retro-  
traditiva locum non habet.*

2.

*Sumptus studiorum, peculio quasi castrense adnumerandi non  
funt.*

3.

*Actione Legis Aquiliae, damnum quoque omittendo illa-  
tum, vindicatur.*

4.

*Actione Legis Aquiliae, ob damnum in contractu datum,  
institutas illum tantum culpe gradum praeflare reum oportet,  
ad quem secundum naturam negotii obstringitur.*

5.

*Natus ex sponsa spurius esse videtur.*

E 3

6.

6.

*Si famulus aegrotat, totam mercedem a conductore petere  
non potest; quamuis ita statuere videatur Hommelius in Rhapsod.  
obs. 331.*

7.

*Infans legitimus praesumitur; licet mater, adulterinum par-  
tum esse, profiteatur.*


8.

*Ad mortem damnati, testari non possunt.*

9.

*Dispositio testamentaria, iure naturae invalida est.*





**ULB Halle**

3

004 833 155



*Slo*





DISSE<sup>2</sup>  
TATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS  
VS VFRVCTVARI  
CIRCA REFECTIONEM  
AEDIFICIORVM.

QVAM  
SVB AVSPICIIS REGIIS  
INCLVTO CONSENTIENTE ICTORVM ORDINE  
PRO

SVMMIS IN VTROQUE IVRE HONORIBVS  
RITE CONSEQVENDIS  
DIE XXX. AVG. MDCCLXXXII.

ER V D I T O R V M E X A M I N I

SVBMITTIT

A V C T O R  
GERHARD CASTENDYK, NATV MAIOR,  
BREMANVS.

G O T T I N G A E  
TYPIS JO. CHRIST. DIETERICH.